

talentum exhibeat, et ministret magistro scolarium solidum, campanatori solidum ministret similiter et dispenset, residuumque praedictus subcustos praetextu sui laboris in colligendo et ministrando recipiat integraliter et perfecte. In quorum omnium evidentiam firmiorem praesentes litteras sigillo nostri capituli dedimus communitas. Datum et actum anno domini M°.CCC°.XXXVIII°. in die beatorum martyrum Abdon et Sennen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel an einem Pergamentstreifen.

No. 431. 1339. 25. Oct.

B. Withigo II. beurkundet gewisse Geldzinsen an den Probst Albert seinen Oheim mit Zustimmung des Capitels verkauft zu haben und eignet dieselben der von Letzterem gestifteten Vicarie in der Domkirche.

In nomine domini amen. Cum universa rerum gesta et hominum contractus per lapsum temporis mobilem soleant decurrere, ea, quae aguntur in tempore, oblivioni ne tradantur, solent lingua testium et scripti memoria firmiter communiri. Nos igitur Wythigo dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis cultum divinum ex creditae nobis dispensationis officio augere cupientes, ut tenemur, omnibus et singulis tam praesentibus quam futuris, ad quorum notitiam praesens scriptum pervenerit, volumus esse notum, quod avunculo nostro dilecto Alberto eiusdem ecclesiae Misnensis praeposito dicto de Lisnick, volenti ob remedium animae suae et suorum praedecessorum vicariam [de] novo exstruere perpetuam in ecclesia Misnensi in honore gloriosae virginis Mariae et omnium sanctarum virginum, octo solidos grossorum in villa Smordin et quinque solidos grossorum dativorum in villa Pinewicz^{a)} sitos, annui census, cum ceteris accessoriis, scilicet pullis et ovis, accedente consilio, consensu et favore totius capituli nostri Misnensis, pro viginti septem scocis grossorum, quos convertimus in maiorem ecclesiae nostrae utilitatem, vendidimus iusto emptionis titulo perpetue possidendos. Quae bona iam dicta per avunculum nostrum Albertum praepositum Misnensem praedictum donata vicariae suae praefatae et ecclesiae Misnensi appropriamus et dotamus in nomine domini per praesentes, in eisdem bonis nihil nobis iuris penitus reservantes. In cuius evidentiam maiorem dedimus sigillum nostrum maius cum secreto nostro impresso praesentibus appendendum. Datum Mogelin. Actum anno domini M°.CCC°.XXXIX°. octavo Kalendas Novembris, hoc est in die Crispini et Crispiniani martyrum beatorum, praesentibus pluribus fide dignis.

Nos vero Albertus praepositus, Apeczko decanus, Conradus de Strelis Wurcinensis praepositus, Henricus de Gubin Haynensis praepositus, Her. Budissinensis praepositus, Johannes de Strelis Lusatiae archidiaconus, Nicolaus archidiaconus Nisicensis dei gratia, Hermannus cantor, Arnoldus scolasticus, Jacobus custos, una cum capitulo Misnensis ecclesiae supra scriptae institutioni, appropriationi et omni ordinationi vicariae praedictae per praefatum dominum nostrum episcopum Wythegonem in ecclesia Misnensi canonice factis nostrum adhibemus consensum voluntarium et expres-

a) Schmorren und Binnewitz, Par. Jahna.